1518. d. 21. Martij. Ex ms. Bibl. Zalus:

Tom. IV: 269

3

# Sigismundus I. Rex Poloniæ Prospero Columnæ

Illustris et magnifice Domine, Amice sincere nobis dilecte. Certiores facti per Oratores nostros de profectione Serenissimæ Sponsæ Nostræ, quam ut erat desiderij nostri commodè ejus Serenitas ad Olomunz pro sacris Paschæ sit ventura, nihil gratius audire potuimus. Rogamusq[ue] tuam Illustritatem, ut iam ejus Serenitas illic ipsa Sacra Paschæ transigat et demum ad Nos iter suum fælicissimum prosequatur, citra tamen ullam quantum fieri potest suam incommoditatem vel molestiam, statuimus etiam, ut prius tuæ Illustritati scripsimus diem Coronationis ejus Serenitatis secunda Dominica post festa Paschæ. Eritquè tempus illud congruum spatio itineris ex Olomuntio, sed a remotiori loco nequaq[uam] sufficeret, fæliciter valeat Illustritas et Nostri cum Serenissima Domina Sponsa Nostra crebram habeat mentionem. Cracoviæ die vigesima prima Martij. Millesimo Quingentesimo decimo octavo.